Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

praecepta data erant. Omnes enim scientiae prius erant in usu quam in arte. Sed considerantes deinde homines usum in artem posse transire, et quod vagum fuerat et licentiosum prius certis regulis et praeceptis posse restringi, coeperunt, ut dictum est, consuetudinem quae partim casu, partim natura excreta fuerat, ad artem reducere, id quod pravus usus habebat emendantes, quod minus habebat supplentes, quod superfluum habebat resecantes, et de cetero singulis certas regulas et praecepta praescribentes. Huiusmodi fuit origo omnium artium. Haec per singula currentes verum invenimus.

Prius quam esset grammatica, et scribebant et loquebantur homines. Prius quam esset dialectica, ratiocinando verum a falso discernebant. Prius quam esset rhetorica, iura civilia tractabant. Prius quam esset arithmetica, scientiam numerandi habebant. Prius quam esset musica, canebant. Prius quam esset geometria, agros mensurabant. Prius quam esset astronomia, per cursus stellarum discretiones temporum capiebant. Sed venerunt artes, quae licet ab usu principium sumpserint, usu tamen meliores sunt. Hic loco esset exponere qui fuerint singularum artium inventores, quando exstiterunt et ubi, aut quomodo per eos disciplinae exordium sumpserunt. Sed volo prius quadam philosophiae divisione singulas a se invicem discernere.

Oportet ergo breviter recapitulare quae supra dicta sunt, ut facilior fiat transitus ad sequentia. Quatuor tantum diximus esse scientias, quae reliquas omnes continent: theoricam, quae in speculatione veritatis laborat; et practicam, quae morum disciplinam considerat; et mechanicam, quae huius vitae dispensat actiones; logicam quoque, quae recte loquendi et acute disputandi scientiam praestat. Hic itaque non absurde illud intelligi potest, quem ob reverentiam sui antiqui in iusiurando asciverant. Unde et illud dictum est: Per qui nostrae animae numerum dedit ille quaternum. Haec quomodo sub philosophia contineantur, et rursum quae sub se contineat, repetita brevi diffinitione philosophiae ostendamus.

De discretione artium. Liber II.

Philosophia est amor sapientiae, quae nullius indigens vivax mens et sola rerum primaeva ratio est.

1